S. D. N.

D. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE OCTAVI

REDVCTIO

Ad terminos iuris, & Sacrorum Canonum, vnius, ſuper qualitatibus, ac modo, & forma recipiendorum Religioſorum, & alterius illius declaratoriæ Conſtitutionum fœl. rec. Sixti Papæ V. quo ad nullitates profeſſionum; ſaluis pœnis contra Superiores Ordinum in receptione Religioſorum peccantes inflictis.



ROMÆ,

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. *M. DCII.*

CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



N suprema Ecclesiæ Catholicæ specula meritis licèt imparibus Diuina prouidentia disponente constituti, omnibus incommodis, quæ in eadem Ecclesia, non sine fidelium animarum periculo, & detrimento oriri possunt, ob variam, & sinistram Constitutionum Romanorum Pōtificum Prædecessorum nostrorum, quas iustis de causis ediderunt, interpretationem pro nostri Pastoralis Officij munere conamur prouidere, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum igitur fœl. record. Sixtus Papa V. Prædecessor noster ad integritatem, & cādorem in Regularibus, & Religiosis Ordinibus in Ecclesia sancta institutis retinendum, & conseruandum, quadam sua, quæ incipit. Cùm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, in Ecclesia sancta institutis retinendum, & conseruandum, quadam sua, quæ incipit. Cùm de omnibus Ecclesiasticis ordinibus, sub Dat. Sexto Kalend. Decembris Pontificatus sui Anno Tertio, nonnulla circa modum, formam, & qualitates admittendi Religiosos ad quosuis Regulares ordines decreuerit, Et deinde alia simili, quæ incipit, Ad Romanum spectat Pontificem sub Dat. xij. Kalend. Nouembris Pontificatus sui Anno Tertio, quædam dubia super dicta priori Constitutione exorta declarauerit; Et præterea piæ mem. Gregorius Papa XIIII. etiam Prædecessor noster alia sua perpetuò valituris constitutionibus, quæ incipit, Circunspecta Romani Pontificis prouidentia, sub Dat. Idibus Martii, Pontificatus sui Anno Primo respectiuè editis, Constitutiones Sixti Prædecessoris supradictas, quo ad illegitimos moderatus fuerit, prout in eisdem Constitutionibus pleniùs continetur. Tamen, quia longo vsu, & experientia compertum est, ex nimia facilitate, & multitudine casuum, in quibus professio à suscipientibus habitum alicuius Regularis Ordinis à dicto Sixto Prædecessore nulla declaratur, multos hac occasione arrepta fraudulenter petijsse, & in dies petere, vt professio, quàm in aliquo Regulari Ordine emiserunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum Regulares ordines, & instituta sub hoc prætextu deseruerunt, Et idcirco plerisque in locis maxima incommoda, & scandala exorta fuerunt. Nos ea scandala, & incommoda, quantum in Domino possumus, remouere, & nè in posterum alia eiusmodi hac de causa oriantur opportuna ratione prouidere cupientes, singularum constitutionum prædictarum tenores præsentibus pro expresſis habentes, matura super his cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus super negocijs Episcoporū, & regularium deputatis, consultatione præhabita, ex illorum sententia, & voto Constitutiones prædictas Sixti Prædecessoris, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem Constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quo ad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus

rece-

receptorum in quibuscunq; etiam Mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos Iuris, & Sacrorum Canonum, perinde, ac si prædictæ Constitutiones in illa parte editæ non fuissent, auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimus. Cæterum pœnas contra Superiores quorumcunque Ordinum etiam Mendicantium huiusmodi, qui in admittendis Regularibus ad habitum, & professionem, earundem constitutionum formam nó seruauerint, aut aliter quouis modo contrafecerint, in ipsis constitutionibus inflictas saluas esse volumus, & statuimus; Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilbiet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, pariter decernimus. Non obstantibus præfatis constitutionibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die secunda Aprilis M. D C I I. Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

M. Vestrius Barbianus.